



I. Abtheilung: Abhandlungen.

Orationes Christi in psalterio (praemisso ps. 19. uti introd. in univ. psalter.) collectae et dilucidatae

a Fr. de Sales Tiefenthal a Tiefenkaſtell, O. S. B.

Praefatio in novum psalterii commentarium.

Quam modeste dicit s. P. N. Benedictus capite octavo sacrae regulae loquens de modo, quo impenderent monachi tempus post vigilias nocturnas usque ad matutinos: „Qui psalterii vel lectionum aliquid indigent, mediationi inserviatur.“ Quis nostrum non tenetur percutiens sibi pectus dicere: Non tantum aliquid, sed multum psalterii indigeo. Respondens ergo voto s. Patris legiferi nostri et communi indigentiae accedo ad explanandum sacrum psalterium, et quidem primum locum habento Orationes Christi in psalterio, quas nemo ante nos collegit et sic nominavit, praemisso tamen psalmo 19 (18), celebrante operationem Dei uti Creatoris et Conservatoris naturae, Legislatoris et Redemptoris, hancque tertiam supra duas alias axaltante, respondens sic votis Leonis XIII, gloriosi regnantis Summi Pontificis, Collegii nostri conditoris munificentissimi, qui ob vergens seculum de Iesu Christo redemptore epistolam encyclicam dedit, eidemque divino Redemptori cruces commemorativas in Ecclesiis statuasque in montibus erigendas censuit et decrevit.

In psalmum 19 (18).

Excellentia doctrinae sacrae prae doctrinae naturae patet ex eo quod Christus illam perfecit, hanc non docuit, quamvis eam melius nosset quam physici omnium temporum. Etiam psalmus 19

exaltat redemptionem super naturam et legislationem, consonans cum exclamatione sapientissimi Salomonis:

„Vanitas vanitatum et omnia vanitas“, et:

„Osculetur me osculis oris sui“

Secundum praedictum argumentum tres distinguimus psalmi partes. In prima celebrat propheta naturam. In ea tantum semel occurrit nomen Dei אֱל. In secunda, in qua propheta laudibus extollit legem V. T., sexies occurrit nomen Dei יְהוָה.¹⁾ In tertia denique, mole minima, spiritu maxima, obvenit triplex denominatio amplissima יְהוָה צוּרֵי גִּבּוֹרֵי.²⁾

Cum autem iam in ore patriarchae Iacob transituri ex hac vita, filios suos solemniter benedictis, occurrat designatio הַמְלִאֲךָ הַגָּאֵל pro filio Dei Genes. 48, 16., et cum etiam Isaias Iehovam uti גִּבּוֹרֵי venturum praedicat 59, 20., et Iob vindicem suum expresse גִּבּוֹרֵי nominet (19, 25), denique expectatio Redemptoris personalis fides inconcussa esset in Vetere T., dubitari non potest, quin hic per גִּבּוֹרֵי veniat persona Christi Redemptoris et propterea psalmus quem tractamus sit mere messianicus. „Qu'on considère que, depuis le commencement du monde, l'attente ou l'adoration du Messie subsiste sans interruption; qu'il a été promis au premier homme aussitôt après sa chute“ etc. Pascal, Pensées sur la Rel. Seconde P. a 11 n. 4.

Ponamus primo locos discrepantes, memores praecepti Leonis XIII: „Maxime codicum primigeniorum“ habenda est ratio in explicanda sacra scriptura.

V. 1. לְמַנְצָה, pro quo LXX habent εἰς τὸ τέλος, Vulg. in finem, nostris diebus plerumque vertitur: magistro cantus; nos autem sequentes s. Hier. illud victori vertendum esse censemus et intelligendum (ob articulum definitum) de Christo, victore per excellentiam, qui omnia perducit ad desideratum finem, ita ut haec vox mystica praeluderet visionem de septem sigillis, secundam mystici Apocalypseos libri 4, 1—8, 1. Videsis Robertson, Thesaurus linguae sanctae. Occurrit in inscriptione 55 psalmodum, et in fine cantici Habacuc 3, 19.

Audiamus Eusebium de inscriptione huius psalmi dicentem: „Praesens quoque psalmus cumiis censendus est qui est ad bonum

1) Numerus sexenarius indicat hoc in casu V. T. tendere ad perfectionem.

2) Nota. Positio nominis יְהוָה in tertia parte psalmi addita ad sex positiones secundae partis indicat N. T. accessisse ad Vetus et illud perfecisse.

finem transmittunt; imo quoque gratiarum actionis inscriptus est, canticum iis qui inimicos debellarunt, triumphale dictum. Quare secundum Symmachum dicitur, Triumphale canticum Davidis. Sed etiam quia Deo victoriarum auctori consecratur, secundum Aquilam, victoriae largitori modulatio, inscribitur.“ M. S. gr. 23, 186. — Idem dicit: „Psalmi itaque, in finem ipsi David inscripti, finem praedicant ac victoriam Christi, qui David vocatur. Vice autem illius, in finem, secundum Aquilam, victoris, dicitur. Is enim cuilibet victo victoriam tribuet. Nam quisquis a Christo vincitur, malitiam vincit, ipsamque de medio tollit, quia subiicitur Christo. Neque enim invitos vincit ille, sed suasionem, utpote verbum Dei. Huiusmodi porro hymnos vel psalmos Theodotio, in victoriam, inscripsit; Symmachus, triumphales.“ Ibid. c. 102.

מְזֹמֹר (LXX ψαλμός, Vulg. psalmus) in inscriptione 57 psal-morum occurrit et indicare videtur, psalmos hac nota insignitos esse cantus sublimes et subtiles. Sublimitas psalmi 19 patet: subtilitas in eo consistit, ne quis naturalia supernaturalibus praeferat.

לְדָוִד septuaginta quinque psalmi inscripti sunt, et ab hoc sancto rege compositi fuisse credi possunt.

V. 2. מְעִשָּׂה est opus, pro quo Vulg. habet opera.

V. 4. אִמְרָא est loquela, sermo, pro quo Vulg. habet lo-quelae. Item pro sequente דְּבָרִים potius ponendum esset verba. In sequente est בְּלִי cum participio expressio poetica pro alpha privativo, ergo בְּלִי נִשְׁמָע inauditus vel inaudibilis. Sensus est:

Praedicatio coeli et firmamenti, diei et noctis, non est praedicatio in angulo, sed est praedicatio in loquela omnibus audibili, in verbis cuique intelligibilibus, est quoddam *φανερὸν* Rom. 1, 19.

V. 5. קָוִים a suffixo et קו esse quidem posset funis, non sonus eorum, ut patet ex Ier. 31, 39., ubi קו etiam cum יִצָּא constructum est. At hic melius cum LXX et Vulgata in sensu sonus accipitur, cum sermo sit de incessabili et universali praeconio diei ac noctis. Primum porro membrum versus sexti in Vulgata in biblia hebraica ad hunc versum trahitur, et vertendum est:

Soli (לְשֹׁמֵר) posuit (Deus) tabernaculum in illis (בְּהָם), sicut etiam s. Hier. habet. Secundum sensum autem melior est divisio Vulgatae.

V. 7. מְקִצָּה non est a summo, sed a fine, coelorum scilicet, quod vocabulum recurrit in על-קצותם, quod vertendum esset: usque ad fines eorum. Item תְּקִיפֹתוֹ non est occursus sed circuitus eius.

V. 10. מְהוֹרָה non est sanctus sed purus. צִדְקוֹ יְהוָה non est iustificata in semetipsa, sed iusta simul, cfr. 4, 9.

V. 12. נֹזֶהר בָּהֶם non est custodit ea, sed talis qui se in eis, vel simpliciter eis, scil. mandatis Dei, illustrari, doceri, moneri patitur.

V. 13. שְׁגִיאוֹת non bene vertitur delicta, cum שְׁגִיאה (in terminologia Thorae שְׁגִיגָה ἀγνοῦμα ex. gr. Lev. 4, 22. 27 Ecce 5, 5) comprehendat tantum peccatum involuntarium, et quidem peccatum tum ignorantiae, tum infirmitatis. S. Hier. pro eo habet errores. Melius forsitan poneretur infirmitates vel debilitates.

V. 14. וְיָדַי non est alienis, sed designat in oppositione ad בְּזֻדוֹן peccata voluntaria et de proposito commissa, sive בְּזֻדוֹן in superbia, sive בְּיַד רָמָה manu elevata etc., cfr. Exod. 21, 14. Deut. 18, 22. 17. 12. וְיָדַי, וְיָדַי effervescere, ebullire. Hi superbe, de proposito, proterve peccare cfr. Num. 15, 27—31. וְיָדַי ergo hic praevaricationes designat, sicut סִטְיִים 101, 3 et Os. 5, 2. — Sequens אֵל certo non recte in Vulgata versum est, sed illud membrum vertatur: ne dominantur in me. Adest ergo climax a peccato involuntario ad voluntarium et dominans. רָב, רָב in fine versus non est maximo, sed magno.

V. 15. In initio versus nullum adest et in hebraeo. יְהוָה-לְרִצּוֹן sint ad beneplacitum. Pro semper nihil adest in hebraeo. צוּרִי non est adiutor meus, sed petra mea.

Ingrediamur nunc in sanctorium sacri textus.

II.

Cum iam indicaverimus supra argumentum psalmi, accedimus statim ad eius explicationem.

Pars prima psalmi, in qua Deus ob potentiam suam in creaturas אֵל appellatur, exaltat manifestationem gloriae Dei in natura, tribus strophis.

Prima strophā exhibet coelos et firmamentum ut praecones gloriae Dei.

V. 2. Coeli enarrant gloriam Dei (El),
Et opus (accusativ.) manuum eius annuntiat firmamentum.

Quam gloriosus sit Deus, qui ut unicus omnipotens אֱלֹהִים

dicitur, et quid manus eius fecerint, id est, quid potentia eius, cui nihil impossibile est, creaverint, enarrant coeli, id est, sphaerae illae coelestes, quae oculo hominis infinitae apparent: hoc clare enunciat firmamentum id est immensum illum super universam terram extensum convexum coelum, cfr. Neh. 9, 6. Iob 38, 7., quod oculo fornix immensus esse videtur. Sicut opus laudat opificem, sic coeli et firmamentum laudant Deum. „Coelorum silentium, aiebat s. I. Chrysostom. hom 9. ad pop. Antioch., vehementior et clarior vox est, quam buccinae clangor; vox haec in oculis nostris, non in auribus clamat, et magnitudinem illius qui ea condidit eloquentissime celebrat.“ „Quis adeo vecors est, atque ab omni sensu alienus, ut coelos intuitus, minime fateatur esse Deos, aiebat Cicero (apud Calmet), ac non intelligat, speciosum adeo ordinem fortuito institui nequaquam potuisse?“ „Quid enim potest esse tam apertum, tam confessum tamque perspicuum, quum oculos in coelum sustuleris et quae sunt infra circaque lustraveris, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur.“ Minuc. Felix c. a. 166 in Octavio cap. 17. Et quidem coeli continuo annuntiant gloriam Dei, ut dicunt participia מְסַפְּרִים et מְנַגֵּד (אֲנַגֵּד).

Sancti Patres, duce Origine, imo s. Paulo, uti videbimus, totum psalmum de Christo vel de oeconomia salutis interpretantur quippe quorum cor nihil nisi Christum sapiebat et quorum os nihil nisi Christum loquebatur.

In secunda strophā dies et nox ut praecones gloriae Dei celebrantur

- v. 3. Dies diei eructat verbum
Et nox nocti indicat scientiam.
- v. 4. Non est loquela et non sunt verba, quorum non audiretur vox :
- v. 5. (Econtra) in omnem terram exit sonus eorum, et usque ad finem orbis verba eorum.

V. 3. Successio non interrupta die ac noctis est praeconium non interruptum gloriae Dei. אָמַר (ab אָמַר sonum edere) optime convenit praeconio illi manifestissimo diei et noctis, et הִבִּיעַ scaturire facere aptissima est figura magnae copiae, in qua sicut e fonte vivo et nunquam deficiente testimonium ab uno die ad

alterum transit **דעת** est scientia de Deo **γνωσθὲν τοῦ θεοῦ** in creaturis deposita, quamvis illis non nota, et **דנה** est verbum proprium, parallelum verbo figurato **הביע**, attamen poeticum, magis aramaicum (= **הגיד**) quam hebraicum, et commune huic psalmo cum libro Iob, indicans noctem nocti sine interruptione scientiam communicare. Dies eructat verbum diei, quia hic verbum praeteriti continuat, et nox indicat scientiam nocti, quia haec scientiam praeteritae continuat, vel, ut dicit Bossuet: „Dies alternant noctes, eoque omnia tenore procedunt, ut dies diei, et nox insequenti nocti, quid agendum sit indicare videantur, perpetua quasi traditione doctrinae.“ Quod verbum et quae scientia eiusmodi sunt, ut, sicut dicit

V. 4^{us}, ab omnibus audiri et intelligi possint. De quo videas supra dicta. Optime quoque Eusebius C. adnotavit: „Docet dies, docet itemque nox eos qui institui praeoptant, quam ineffabilis sapientia, quam incomprehensibilis virtus sit Dei, qui ipsis temporum intervalla dimensus est. Si namque nullus esset qui his tempestatibus spatia et interstitia destinasset, sed temerario et inconsiderato motu atque casu quopiam haec existerent; oporteret sane non aequalibus spatiis dies a saeculo ordinatos fuisse, ac confusa eorum, similiterque noctium tempora, casu ac fortuito revolvi. Etenim temerario casui finitimus est inconditus rerum status, et fortuitam rem sequitur confusio; ut vice versa rectum ordinem ratio dirigit, concentumque ac concordiam rerum sapientia administrat. Mutuae sanae illorum vicissitudines et concessionones, nam modo dies, concedente nocte, prolixiores sunt, modo noctes debitum ac mutuo datum spatium aucta hieme ac tempestate repetunt: haec, inquam, tantum non vociferantur, ac ceu edito clamore sapientissimum illum ab universorum Deo constitutum ordinem depraedificant, hominibus Dei notitiam annuntiant? Sic vel ipsis gestis operibus dierum noctiumque voces iis qui auditu valent inclamant, ut per omnium aures doctrina eorum pervadat. Universus itaque orbis, qui ab hominibus incolitur, concinnis huiusmodi ac mutuis choreis repletus est; quare dicitur: (vers. 4 et 5): Non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, videlicet dierum ac noctium, nec non coelorum, qui enarrant gloriam Dei, et firmamenti, quod opera manuum eius annuntiat.“ M. S. gr. 23, 190 **מְלִיחָה** a **מְלָה** est poeticum et magis aramaicum quam hebraicum.

Audiamus iterum Eusebium C. quomodo diiudicat citationem initii versus 5 h. ps. factam per s. Paulum Rom. 10, 18 ad pro-

bandum, praedicationem apostolorum exivisse in omnem terram. „Hic porro, inquit, mihi haec contemplanti mirari subit, quo pacto sanctus Apostolus illud: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, ad discipulos, evangelistas et apostolos Salvatoris nostri in sua ad Romanos epistola referat. Dum autem apostolicum dictum animo perpenderem, deprehendi ipsum apposite admodum et opportune huiusmodi accommodationem advexisse: non enim ut aliis in locis modo sic effatur, Isaias autem clamat de Israele (Rom. 9, 27); modo sic, ut praedixit Isaias (ib. v. 29); rursus vero, quemadmodum scriptum est (I. Cor. 1, 31); iterumque, dicit enim scriptura (Rom. 10, 11); non sic inquam, illud: In omnem terram exivit sonus eorum, cum simili additamento protulit. Nam si quidpiam huiusmodi praemisisset, esset fortasse qui putaret ipsum huic psalmi dicto vim intulisse. At hic simplici modo psalmi sententia usus videtur; ita ut iure dici possit, ipsum opportuna utrique ratione, atque apposite hoc testimonium adhibuisse.“ M. S. gr. 23, 190—191.

In tertia strophæ sol ut praeco gloriae Dei exhibetur.
Soli posuit tabernaculum in eis (coelis).

v. 6. Et ipse (sol) est sicut sponsus procedens de thalamo suo:
Exultat sicut gigas ad currendam viam:

v. 7. A fine coelorum est egressio eius
Et circuitus eius usque ad fines eorum,
Nec est quidquam quod se abscondere possit a calore eius.

Pulchre dicit psalmista, Deum soli posuisse tabernaculum אהל (זבל) Hab. 3, 11) in coelis (suffix. ergo in בָּהֶם referendum est ad שָׁמַיִם) ex quo oriens egreditur et in quod occidens re-

greditur. Optime Theodoretus Cyr.: „Haec etiam, inquit, magis dilucide tres interpretes ediderunt. Soli, inquit, posuit tabernaculum in ipsis, videlicet in coelis. Sic enim et magnus Moses docuit: „Et fecit Deus duo luminaria magna, et posuit illa in firmamento coeli, ut lucerent super terram (Gen. 1, 16—17).“ Hoc ipsum et divinus David dixit, quod posuerit soli tabernaculum in coelis, ut ipse super illis vehatur . . . ab oriente exoritur, et unius diei spatio percurrens, ad occidentem pervenit.“ M. S. gr. 80, 994.

V. 6. Idem Theodoretus in eodem loco de sole dicit, Deum ei posuisse tabernaculum in coelis, ut „pulchritudine sponsum imitetur ex thalamo multo cum decore exeuntem, velocitate autem gigantem quemdam magno cum impetu currentem, nulla re obstante, nec impediante quominus ulterius progredi possit.“ Lux matutina habet aliquid vegetum, amoenum, iuvenile. Propterea sol oriens comparatur cum sponso, cuius cordis desiderium ex-

pletum est, qui quodammodo novam vitam incipit et in cuius vultu iuvenili adhuc gaudium nuptiarum resplendet. Et sicut in ortu sol similis est sponso, sic in cursu similis est heroi (18, 34), nam quoties egreditur, vegeta fortitudine lucem effundens et omnia vincens, curriculum perficit. **הַפֶּה** thalamus nuptialis sicut Ioël 2, 16., cfr. Isai. 4, 5.

V. 7. „Commode memorat David ordinatum solis cursum et quod e thalamo finium terrae, tanquam pulcherrimus sponsus procedat: deinde tanquam a repagulis cursum auspicans, celerem validumque volatum faciat, et indefessus decurrat.“ St. Cyrill. Alex. 69, 830.

Ab uno fine coelorum, extremo oriente, est exitus ascensus (cfr. Os. 6, 3. Contrarium est **מְבוֹא** introitus = descensus) solis et circuitus eius ad coelorum fines tendit. **מִקְצֵה** determinat locum unde sol exit, **עַד-קְצוֹתָם** (cfr. econtra Deut. 4, 32) terminum cursus eius, et **תְּקוּפָה** (prop. circulus a **נָקַף-קוּף** circuevit, circum-actus, revolutus est) designat hunc cursum ut semicirculum ab oriente ad occidentem. In hac longa via, quam ut heros emetitur, nihil, sive velit sive nolit, ab effectibus caloris eius intactum remanet. Non est **נִסְתָּר** absconditum id est quod in abscondito restet a facie caloris eius: **הַמָּה** est calor **הַמָּה** τῆς **הַמָּה**, quod etiam nomen poëticum solis est.

Adnotavit Theodoret. de calore: „Calorem hoc loco pro lumine posuit, maiorem efficaciam demonstrans quam luminis manufacti, ut etiam qui longe absunt, calore frui possint. Nam lumine hominum manu accenso, caloris, nisi appropinquantes, participes esse non possunt. Sol autem etiam longissime radios emittens, calorem cum lumine impertit.“ M. S. gr. 80, 995.

Pro applicatione mystica, de qua inferius agemus, sufficiat hic meminisse, Christum in sacra liturgia passim vocari solem iustitiae.

Transitus a prima ad secundam partem exterius non indicatur, sed intentio prophetae iam exinde patet quod exhinc nomen Dei **יְהוָה** pro **אֱל** ponit. Verbum naturae praedicat nobis **אֱל**, verbum scripturae **יְהוָה**, illud Dei potentiam et gloriam, hoc etiam eius consilium et voluntatem. Et Thora etiam sol est pro mundo spirituali, sicut sol pro naturali. Bene s. Cyrill. Alex.: „Non inutile, ait, cordatioribus est naturae spectaculum; quod contemplari volentibus Dei repraesentat gloriam, ex creaturarum ornatu et recto ordine dignoscendam; invisibilia enim eius, ex creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur

(Rom. 1. 20) . . . , nihilominus legis quoque adiutorium suppeditavit, quod errantes revocare posset. Socorditer ego scrutanti psalmi verba, non videtur praecedentibus connecti hic de lege et iustificationibus sermo. Attamen multa potius consensio est. Quod ut hic breviter exponam, tres sunt, et quidem divinae omnes leges: prima naturae simul et creationis, ob quam, duce conscientia et creaturis, officium nostrum intelligimus et creatorem simul agnoscimus; secunda lex scripta, per Moysen data; tertia lex spiritualis et evangelica“ etc. M. S. gr. 69, 830 - 831.

In stropha prima secundae partis, quarta in toto, ponuntur duodecim elogia Thorae vel potius verbi Dei, quae non inepte comparantur duodecim fructibus ligni vitae, et quae proponuntur in versibus coesurarum schemate confectis, nam cor prophetae de sacrae historiae revelatione loquentis, cuius signatura est nomen Iehovae, prae duplici gaudio palpitat.

- v. 8. Lex Iehovae immaculata, convertens animam,
Testimonium Iehovae fidele sapientiam praestans parvulis.
- v. 9. Praecepta Iehovae recta, laetificantia cor,
Mandatum Iehovae purum, illuminans oculos,
- v. 10. Timor Iehovae sanctus, permanens in aeternum,
Iudicia Iehovae veritas, iusta simul.

Retractemus singula

V. 8. Proprie תּוֹרָה non significat legem, sed instructionem vel doctrinam, quapropter et de prophetia Isaiae Isai. 1, 10. 8, 16., et in eadem, ubi evangelium Novi Testamenti prophetizat, ab eodem de eo usurpatur Isai. 2, 3. Attamen nomine Thora hic venit lex Dei data a Deo populo Israel per manum Moysis, quae facta est norma vitae populi Israel, lex illa non tantum regiae, sed etiam sacerdotalis et propheticae indolis in toto complexu suo, quae non tantum exigit et castigat, sed etiam promittit. Propterea aptissime posuit Malachias in fine prophetiae suae: וְכִרְוּ תוֹרַת מֹשֶׁה עֲבָדַי 3, 22. (Vulg. 4, 4.)

Vocatur lex תּוֹרָה immaculata ut adaequata expressio divinae voluntatis ad sanctificationem hominis tendentis. Cyrill. Alex. pro eo habet inculpata, s. Bruno Ast. irreprehensibilis. S. Paulus ipse vocat legem sanctam Rom. 7, 12 et spiritualem ibid. v. 14. „Ὁ νόμος κυρίου ἁμωμὸς τὴ γὰρ ἔχει τις αὐτοῦ μέμψασθαι“; Nicephorus Blemmidas M. S. gr. 142, 1412 Quamvis etiam s. Paulus de lege in quantum excitat cupiditatem et non gratiam dat eam frenandi, dicat: „Lex iram operatur.“ Rom. 4, 15.

Vocatur praeterea lex מְשִׁיבַת נֶפֶשׁ reducens id est noviter vivificans, recreans animam (cfr. Po. יְשׁוּבֵב 23, 3.) quia abundat verbis et institutis consolationis, quae peccatorem erigunt eique animum addunt. Quod praecipue valet in quantum lex gratiam Christi praedicebat et praefigurabat. Quid denique magis consolatorium est quam scire Deum curam agere de hominis bono spirituali et supernaturali?

Thora insuper vocatur לְוָחוֹת, sicut tabulae decalogi עֲדוּת, לְוָחוֹת הָעֲדוּת vel לְחֻמֹּתֵי הָעֲדוּת appellatur, a הָעֵיד, quod non tantum de testimonio confirmante, sed etiam admonente et ordinante usurpatur. Testimonium Iehovae est נִאֲמָנָה confirmatum, non praeteriens, sed se comprobans in omnibus circumstantiis, exaltatum supra omne dubium, fide dignum et se complens in suis promissionibus, et מְהַכִּימָה פְּתִי sapientem faciens simplicitatem vel simplicem, proprie apertum, mobilem, facilem ad seducendum.¹⁾ Huic declaratio divinae voluntatis fortitudinem dat et securum canonem ad diiudicandos omnes eventus: σοφίσειν αὐτόν II Tim. 3, 15. „Νήπια δὲ ἢ κατ' ἡλικίαν, ὑπερ τὸν Δαυιδ καὶ τοὺς κατ' αὐτόν ἢ κατὰ ἀμαθίαν ἀνθρώπων σοφίας, ἢ κατὰ ἀκαλίαν“. Nicephor. Blemmid. 142, 1412.

V. 9. Thora dispescitur in פְּקוּדִים (pro quo Vulg. habet iustitiae; melius esset praecepta, ut habet s. Hieron.) postulata vel praecepta de hominis officiis, quae sunt יְשָׁרִים recta ut norma normata, quia a recta, totaliter bona voluntate Dei procedunt, et ut norma normans, quia recta via ad bonum dirigit. Propterea sunt מִשְׁתַּחֲי לֵב laetificantia cor, quia homo qui illa sequitur laetam habet conscientiam, se esse in recta via ad ultimum finem consequendum.

מִצְוַת ה' (a צִוָּה statuere) est Iehovae statutum, summa mandatorum eius. „Lucerna est statutum“ — dicitur Prov. 6, 23 — „et lex lux“. Sic hic: est בְּרָהּ purum sicut purus lucis splendor Cant. 6, 10., et lux quae in eo est et ab eo procedit est מְאִירַת עֵינַיִם illuminans oculos, quod non tantum de illuminatione intellectus, sed totius hominis intelligendum est, facit enim hominem

¹⁾ Sunt qui παιδίων lat. putus, putillus, a פְּתִי descendere putant.

spiritualiter sanum, vegetum et laetum, nam obscuratio oculorum est tristitia, moestitia, consilii inopia.

V. 10. **יְרֵאתָ ה'** est in hoc loco timor ille, quem eius revelatio exigit, efficit et sustinet, revelatus modus, quo timendus est (34, 12), ergo fere idem ac religio Iehovae (cfr. Prov. 15, 33 cum Deut. 17, 19); hic est **מְהוֹרָה** purus, sicut puro auro simile verbum, a quo docetur 12, 7., et propterea **לְעַד עֵמֶדְתָּ** permanes in aevum in oppositione ad omnes virtutes apparentes, falsos cultus, falsas religiones. „Voilà donc la religion toujours uniforme, ou plutôt toujours la même dès l'origine du monde: on y a toujours le même Dieu comme auteur, et le même Christ comme sauveur du genre humain. Ainsi vous voyez qu'il n'y a rien de plus ancien parmi les hommes que la religion que vous professez, et que ce n'est pas sans raison que vos ancêtres ont mis leur plus grande gloire à en être les protecteurs.“ Bossuet, Discours sur l'histoire un. 2. p. ch. 1.

מִשְׁפָּטֵי ה' est omne illud quod secundum Dei iudicium rectum est et ius existendi habet, iura legis ut corpus iuris, divini; haec sunt **אֱמוּנָה** veritas permanens stabilis et sic se distinguens a iuribus humanis accidentalibus, partim veris, partim falsis et propterea mutabilibus, **צִדְקוֹ יְהוָה** omnia omnino ius habent et ius obtinent, quia nullum opprobrium falsitatis, iniustitiae, partium studii eis inhaeret. „La belle philosophie que celle qui nous donne des idées si pures de l'auteur de notre être! la belle tradition que celle qui nous conserve la mémoire des ses oeuvres magnifiques! Que le peuple de Dieu est saint, puisque, par une suite non interrompue depuis l'origine du monde jusqu'à nos jours, il a toujours conservé une tradition et une philosophie si sainte.“

Bossuet, ut supra. „Il nous montre, par ces exemples fameux, ce qu'il fait dans tout les autres; et il apprend aux rois ces deux vérités fondamentales: premièrement, que c'est lui qui forme les royaumes pour les donner à qu'il lui plaît; et secondement, qu'il sait les faire servir, dans les temps et dans l'ordre qu'il a résolu, aux desseins qu'il a sur son peuple.“ Bossuet, ut supra 3 p. ch. 1. — Duodecim elogia legis Dei, quae consideravimus, bina se habent, ut suppositio et consequentia. Conferantur cum dictis verba Ecclesiastici in fragmento Schechteriano:

וַיִּשֶׁם בְּיָרֹם מִצְוָה תּוֹרַת חַיִּים וְתִבְוֵנָה

לְלַמֵּר בְּעֵקֶב חֻקּוֹ וְעֲדוֹתָיו וּמִשְׁפָּטָיו לְיִשְׂרָאֵל

In secundae partis secunda strophæ, quinta in toto, poëta summam facit prædictorum elogiorum Thoræ, et se ipsum in lucem Thoræ sistens, Deum iustificantem et sanctificantem gratiam rogat, ut finem a Thora propositum consequatur.

- v. 11. Desiderabilia præ auro, imo auro purissimo multo,
Et dulcia præ melle, imo melle dulcissimo, (sunt præcepta tua Deus!)
- v. 12. Illustrari desiderat quoque servus tuus illis, illa observare maximi est momenti.
- v. 13. Peccata infirmitatis quis animadvertit? ab occultis munda me!
- v. 14. A peccatis malitiæ retine servum tuum, ne dominantur super me.

Tunc integer ero et absolutus a defectione magna.

Sunt versus maximi ponderis, quos non pigeat meditando menti et animo imprimere.

V. 11. Articulus in הַנְּהַמְדִים paene vim exclamationis habet: o quam (cfr. 18, 33), quamvis primo loco sit summativus, sicut articulus in הַשְּׁשִׁי in fine Hexaëmeronis Gen. 1, 31. — פֶּזֶז

est aurum purissimum probatissimum cfr. III. Reg. 10, 18 cum II. Paralip. 9, 17. Cantic. 5, 11. — נֶפֶת צִוְפִים est mel dulcissimum quod sua sponte e favorum cellis effluit. Quo sensu etiam favus hic accipitur. Desiderabilia sunt verba revelationis divinæ ei qui illa adhuc extra se habet, dulcia illi qui ea intra se possidet. „Quid enim tam desiderabile, ut sapientia, ut iustitia, ut veritas, ut ipsa sui Creatoris agnitio! Omnia enim hæc, et quaecumque alia . . . in lege Domini continentur. Unde et primo psalmo de viro iusto dicitur: quia meditabitur in lege Domini die ac nocte. Et inde apparet quia dulcior sibi est super mel et favum . . . ideo super omnia quaecunquo sunt, dulciora et desiderabiliora habet, quia in custodiendo illa multam se retributionem habere non dubitat.“ St. Bruno Ast. 164, 759—760.

V. 12. Propheta qui Iehovæ servus est, id est, qui ei in omnibus rebus parere et servire desiderat, verba Dei etiam ad id sibi usui esse cupit, ad quod data sunt, id est, illis illustrari, instrui et dirigi desiderat: נוֹרֵר part. Niphal. est ille qui se illuminari, doceri et moneri permittit; גַּם pertinet ad נוֹרֵר. Scit, eorum observatione magnam mercedem quemvis sibi acquirere. עֵקֶב calx, ultimum alicuius rei, consequentia vel merces vitæ, λοιδορία. „Servus tuus iustum significat et devotum. Custodit ea, dulcedine scilicet illa plectetus, quia nequissimis mentibus iudicia

Domini semper amara sunt. Et inspicere quod dictum est, custodit ea; ut non solum ad tempus earum rerum suscipi videatur affectus, sed usque in ultimum vitae spatium in tali devotione versetur. Post obedientiam praemia subsequuntur, id est retributio multa. Tanta enim divinae clementiae dona sunt, quae nequeunt comprehendi. Sic enim de his Apostolus dicit: Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae prae-paravit Deus diligentibus se (I. Cor. 2, 9). Merito ergo dicta sunt multa, quia comprehendi non poterant universa.“ Cassiodor. 70, 142.

V. 13. Cum autem verba Dei non sint tantum imago divinae voluntatis, sed etiam speculum cognitionis propriae, poëta etiam rogat Deum veniam peccatorum suorum,¹⁾ et quidem primo peccatorum involuntariorum שְׁגִיאוֹת vide supra inter l. d. Quo tamen etiam

peccata veniunt quae ob infirmitatem quandam carnis scientia et voluntate quadam committuntur (Lev. 4, 1—5, 13. Num. 15, 27—31), nam ubi non est cognitum nec volitum nec peccatum est. Quot peccata committuntur respectu humano! Quot sunt homines independentes? Moegeria est magaera. Omnes honorare. S. Patr. N. Ben. — Petit poëta secundo veniam peccatorum occultorum נִסְתָּרוֹת (ad quod tamen peccata non est supplendum), quod idem est ac עֲלֵמִים (90, 8), id est, omnium illorum peccatorum,

quae etiam ille qui maximo studio ad sanctitatem tendit, ob tenuem cognitionem sui ipsius et peccatorum suorum non cognoscit, quamquam cognoscere posset et quamquam ea voluntarie committat. Opponuntur sub hoc respectu primae classi peccatorum, quia homo ea agnoscere detrectat. „Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.“ Luc. 23, 34. „Ego, inquit, ipse qui custodio, rogo te, quoniam delicta quis intelligit, ne mihi ut homini quaedam surrepant, et quibusdam ut homo praeoccupet.“ S. Aug. Nonne pertinent ex. gr. ad haec tot peccata provenientia ex nimis amore patriae, rusticitate morum, pessima recitatio sacri officii, defectus respectus erga proximum, gaudium de malo proximi, suspicio (Susanna)? Facit etiam huc dictum: Nitimur in vetitum נִקְרָה quod

aequat δικαιούσιν est vox iudicialis: innocentem declarare, absolvere, impunitum relinquere. Quaestio autem in initio versus sensum habet: nullus omnino insons est.

¹⁾ »Petit se a vitiis purgari, ut sit dignus Psalmista, qui haec referat sacramenta. Menti videnti suavis est veritas, dulcia iudicia; non videnti, quae suavitas? sed quare non videtur? propter delicta.« Walafrid. M. S. l. 113, 782. Cfr. Rom. 1, 21—32.

V. 14. Consciens infirmitatis humanae, poëta ultra progrediens Deum orat, ut ipsum praeservet a peccatis malitiae מַזְדִּירִים vide

inter l. d. Certe etiam David semalitia decipi permisit sive prius sive postquam hunc cecinit psalmum, et Salomon sapientissimus rex. Quantum ergo quisque timere debet, ne et ipse seducatur. Si autem iam unum peccatum malitiae magnum malum est, quanto maius consuetudo talium peccatorum! Aptissime ergo psalmista Deum rogat, ne velit permittere, ut talis consuetudo ipsum invadat et in ipsum dominetur. Tunc אַן, si nempe Deus sibi, dicit poëta,

hanc duplicem gratiam remissionis et praeservationis concesserit, erit integer אֵיתָם (I. pers. fut. Kal pro אָתָם vel אֵתָם cum Iod incorrecto) et absolutus וְנִקִּיתִי (non Piel ut v. 13, sed Niphal

esse purum, liberum) a defectione magna, scil. finali, qua in aeternam damnationem rueret. Bene gemit pius Thomas a Kempis: „O quando finis horum malorum? quando liberabor a misera servitute vitiorum? quando memorabor Domine tui solius? quando ad plenum laetabor in te?“ De im. Chr. l. 3. c. 48. n. 3.

Ut ad optatum hunc finem perveniat, commendat se psalmista Redemptori, eum exaltans **tertia psalmi parte**, et petens, ut ei iam nunc placeant omnia sua desideria et verba, exclamans

v. 15. Sint ad beneplacitum verba oris mei et meditatio cordis mei
In conspectu tuo, Iehova, petra mea et Redemptor meus.

In fine huius psalmi occurrit dulce illud גִּיאֵלִי ad quem

omnis caro suspirat et ad quem convergit omnis historia generis humani. Quantum sancti Veteris Test. desiderabant adventum Messiae, probat initium cantici Canticorum, probat etiam adventus Magorum ad quaerendum Salvatorem, probat praedictio loci nati-
vitatibus Salvatoris per prophetam Michaeam: „Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.“ 5, 2. Et cantat Dante:

„Onde l'umana spezie inferma giacque
Già per secoli molti in grande errore,
Fin ch'al Verbo di Dio di scender piacque,
U'la natura, che dal suo Fattore
S'era allungata, unio a Sè in persona
Con l'atto sol del suo eterno Amore.“

Par. VII. 28—33.

Et dicit pater apostolicus Hermas: „Petra et porta est Filius Dei. Petra antiqua est, quia Filius Dei antiquior est quavis creatura, cum esset in consilio Patris creantis mundum. Porta

nova est, quia apparuit novissimis diebus, ut ii qui salutem consecuturi sunt per eam in regnum Dei intrent.“ Simil. 9. c. 12.

Audiamus Arnobium Iuniorem explicantem totum psalmum de oeconomia Novi Testamenti. „Coeli, inquit, facti sunt apostoli habentes in se solem iustitiae, et merita in modum stellarum pro varietate diverso splendore radiantia... Horum autem sonus in omnem terram progressus est, et in fines universi orbis verba eorum penetrarunt... A summo coelo egressio eius (Christi). Non ex semine viri, sed ex ore Patris qui est in summo coelorum, et occursus eius usque ad summum eius... Nulla enim gens erit in hoc saeculo ad cuius notitiam non attingat calor fidei christianae, in qua est lex Domini irreprehensibilis, convertens animas... ibi sunt iustitiae laetificantes corda... Hoc praeceptum tam lucidum est ut etiam caecorum illuminet oculos“ etc. etc.

Concludamus verbis Ludovici Blosii: „Felices eritis, si amatis recitationem psalmorum, et si meretis frui suavitatibus et pace quas continent.“

Orationes Christi in psalterio.

Sunt in psalterio psalmi, qui a Davide integri dicti sunt e persona Christi ut orationes quas Homo-Deus in vita sua mortali fusurus esset, et quas certo fudit, quamvis evangelia id non dicant.

Sunt autem sequentes:

- Ps. 40. Oratio Christi intrantis in hunc mundum.
- Ps. 35. Oratio Christi coram tribunalibus falso accusati.
- Ps. 41. Oratio Christi crucifixi beatum dicentis quemvis mediationi passionis suae deditum. Aliter: psalmus Stabat mater.
- Ps. 109. Evolutio primi verbi Christi in cruce.
- Ps. 69. Evolutio quinti verbi Christi in cruce.
- Ps. 22. Oratio Christi morti proximi.
- Ps. 16. Oratio Christi statim ut expiraverat in cruce.

Hi psalmi superant sublimitate evangelicam narrationem 1. eo quod animam inspirant facto historico; 2. eo quod prophetia, ceteris paribus, nobilior est historia. Suppleant etiam evangelia, ut patet. Quanta magnificentia, istas orationes plus quam mille annis antequam recitatae sunt a Christo, a Spiritu Sancto audivisse et litteris mandasse! Pro certo vix invenitur aliquid aliud tam aptum ad probandam fidem et fovendam pietatem. Quanta igitur cum reverentia tam sacrosanta verba scrutinanda sunt.

Audiamus Alcuinum dicentem:

Iesus tibi solus
Sit rogo semper
Lux, amor atque
Forma salutis,
Vita perennis
Gloria perpes.

Et s. Ioan. Damascenum:

„Scripturae divinitus inspiratae studium opes, gloriam, imperium, ac denique res eas omnes quas mortales amplecti solent antecellit.“ Migne S. gr. 95, 1042.

Qui plura de utilitate et excellentia studii s. scripturae scire desiderant, adeant literas encyclicas Leonis XIII de studiis s. scripturae.

Quid mihi et tibi est, mulier?

(Joann. II. 4.)

Nach der Vulgata und nach dem griechischen Texte übersetzt und erläutert von
D. Gotthard M. J. Heigl, O. S. B., Abt von Affligem (Belgien).

Vorwort.

Wem sind beim Lesen des Wunders auf der Hochzeit zu Kana die Worte Jesu: „Quid mihi et tibi est, mulier?“ nicht aufgefallen und dabei die Frage aufgestiegen: Was hat Jesus damit sagen wollen? Wie lassen sie sich mit der Pietät des Heilandes gegen seine Mutter und mit dem Verlaufe der ganzen Erzählung in Einklang bringen? Vielleicht hat mancher einen Commentar aufgeschlagen, und dann wieder unbefriedigt aus der Hand gelegt.

Diese Worte sind auf verschiedene Weise ausgelegt worden. Viele Irrlehrer, wie die Gnostiker, Ebioniten, Nikolaiten, Manichäer etc. beriefen sich auf diese Stelle, um ihre falschen Behauptungen zu beweisen; spätere Häretiker und Ungläubige zogen daraus den Schluss, dass Jesus selbst seine Mutter nicht geehrt hätte und auch von seinen Jüngern nicht geehrt wissen wollte. Es gab sogar drei katholische Kirchenlehrer, welche sich in anderen Fällen unermessliche Verdienste um die katholische Religion und um die Verehrung Mariens erworben haben, hier aber vermuthen, Maria habe gefehlt, z. h. aus Eitelkeit gehandelt und durch ein Wunder ihres Sohnes für sich Ruhm gesucht, sich einer ungeordneten Geschäftigkeit und übermässigen Sorge, ja eines Eingriffes in die Rechte ihres göttlichen Sohnes schuldig gemacht und dadurch sich einen gerechten und zwar scharfen Tadel von Seite ihres Sohnes zugezogen. Mit Recht wird diese Vermuthung von allen anderen katholischen Schriftauslegern zurückgewiesen